

2.

DECRETUM DEFINITIVUM COLLEGII**Prot. n. 47546/13 CA**

Amotionis Superiorissae Generalis et eius Consilii
(Exc.mus Episcopus – Congregatio pro Institutis vitae
consecratae et Societatibus vitae apostolicae)

DECRETUM DEFINITIVUM

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

FRANCISCO PP. feliciter regnante, Pontificatus sui anno II, die XXIV iunii MMXIV, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Raimundo Leone Card. Burke, *Praefecto*, Ioanne Card. Lajolo, Paulo Card. Sardi et Iosepho Card. Versaldi, atque Exc.mo et Rev.mo Philippo Iannone, O.Carm., *Ponente*, intervenientibus Cl.ma Martha Wegan, utpote Patrona Exc.mi Recurrentis, Cl.mo Aemilio Artiglieri, tamquam Patrono Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, atque Rev.do P. Nicolao Schöch, O.F.M., Promotore Iustitiae Substituto, in causa, de qua supra, hoc definitivum tulit decretum.

I. FACTI SPECIES

Decreto die 16 iulii 2001 lato, Episcopus N, Exc.mus nempe D.nus X, institutum iuris dioecesani erexit cui nomen est Y. Decem circiter post annos, attentis quibusdam animadversionibus in regimen Instituti, Exc.mus D.nus Z, Episcopus eiusdem dioecesis, visitationem canonicam in domus religiosas Instituti ad normam can. 628, § 2, n. 2 iussit.

Ex relatione a Visitoribus confecta, umbras a lumine dividente, abusus quidam potestatis ac modi agendi vitae religiosae alieni patefacti sunt, adeo ut Exc.mus Episcopus decreto diei 29 februarii 2012 Superiorissam Generalem una cum eius Consilio ab officio amovendam esse statuit.

Statim ac decretum Superiorissae Generali perlectum est atque hoc modo intimatum, eadem Rev.ma Antistita Exc.mo Episcopo remonstrationem porrexit. Frustra tamen, ac proinde Rev.ma Soror W ad Congregationem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae die 10 martii 2012 provocavit, suspensionem quoque amotionis petens.

Litteris die 28 martii 2012 datis, Dicasterium notitias ab Exc.mo Episcopo exquisivit atque actus impugnationis executionem suspendit.

Paulo post, die scilicet 19 iulii 2012, ad rem altius investigandam, Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae Exc.mum D.num V, Episcopum emeritum P, Visitatorem Apostolicum designavit ad inquirendum et referendum.

Relatione huius Visitationis Apostolicae recepta atque actis omnibus ad rem prostantibus rimatis, Dicasterium illud, invocato can. 1739 praescripto, die 10 ianuarii 2013 decretum impugnatum rescidit.

Quam adversus decisionem ad hoc Supremum Tribunal Exc.mus Episcopus die 28 ianuarii 2013 recurrit ac dein, die scilicet 30 maii proxime insequentis, rescissionem suspendendam petivit.

Adversus Exc.mi Recurrentis vota Congressus diei 6 decembris 2013 decrevit recursum ad disceptationem admittendum non esse, utpote manifeste quovis carentem fundamento.

Recursu die 14 ianuarii 2014 ad Collegium proposito, nunc Nobis respondendum est dubio insequenti: *An decretum ab Em.mo H.S.T. Praefecto die 6 decembris 2013 in Congressu latum reformandum sit.*

II. IN IURE ET IN FACTO

Decretum Congressus, heic impugnatum, fundamento destituta tenuit motiva quibus Exc.mus Recurrens actum Dicasterii impetere conatus est. Huius Collegii nunc est, proinde, decretum Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae examini subicere ad legitimitatem rescissionis actus Exc.mi Episcopi in procedendo et in decernendo ponderandam. Non ergo meritum actionis Dicasterii Curiae Romanae, non varias Instituti sortes, non necessitudinem inter idem Institutum et consociationem publicam v.d. Y, non denique facinora ab his consociatis patrata atque competentiam Congregationis pro Doctrina Fidei spectantia Nobis ingrediendum est.

Ceterum ipsum Dicasterium quod decretum impugnatum tulit, gravem condicionem, in qua Institutum religiosum versatur, iuxta animadversiones permultas et severas ab Exc.mo Recurrente eiusdemque Patrona prolatas, minime negat: asserit potius se, utpote Superiorem hierarchicum, ponderationem de re attigisse aliam ac illam Exc.mi Episcopi.

In procedendo

Exc.mus Recurrens contendit Superiorissam Generalem revocationem vel emendationem decreti omisisse

petendam. At in actis, quae prostant, documentum adest, quo Suprema Moderatrix exemplar decreti petiit ad eiusdem revocationem obtinendam. Quidquid est, recte adnotat Rev.dus Promotor Iustitiae Substitutus quod iuxta communem H.S.T. iurisprudentiam Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, uti Superior hierarchicus Exc.mi Episcopi quoad instituta religiosa, etiam recursum haud legitime exhibitum ex officio accipere, pertractare ac definire potest, praescripto can. 1739 utens (cf. Decretum definitivum coram Versaldi, diei 29 februarii 2008, prot. n. 37574/05 CA, n. 6).

Cl.ma Exc.mi Recurrentis Patrona insuper decreti impugnati dispositiones remedia cautelaria ad normam can. 1722 data habet, quae usque ad conclusam Visitationis canonicae partem alteram vigerent. At praescriptum can. 1722 de remediis processu poenali inchoato imponendis cavet. Suprema Moderatrix ceterum et Consilium generale amota sunt, non autem suspensa; amotio enim dispositio quaedam definitiva est, remedium cautelare minime constituens.

Censurae, proinde, de legum violationibus in procedendo nullo nituntur fundamento.

In discernendo

Medulla quaestionis in casu exstat potestas in Institutum religiosum, qua pollet Episcopus dioecesanus.

Can. 594 praescriptum statuit Institutum iuris dioecesani sub speciali cura Episcopi dioecesani permanere. Cui praescripto Legislator addit quod singulis institutis, dioecesanis

haud exceptis, iusta autonomia vitae, praesertim regiminis, agnoscitur atque Ordinariorum locorum est hanc autonomiam servare ac tueri (cf. can. 586).

Ad cuius canonis tenorem Episcopus dioecesanus erga Institutum religiosum Superior hierarchicus censendus haud est, sed tantum ecclesiasticus (cf. *Communicationes* 18 [1986] 199). Iure haud nititur, proinde, assertio Exc.mi Recurrentis qui unicum Instituti Superiorem se dicit atque uti talis ipse agit.

Episcopo sedis principis praeterea speciales potestates Legislator tribuit, inter quas habetur «negotia maiora totum institutum respicientia tractare ... consultis tamen ceteris Episcopis dioecesanis, si institutum ad plures dioeceses propagatum fuerit» (can. 595, § 1). Quae novissima clausula ad validitatem actus tenenda est (can. 127, § 2, n. 2). Amotionem ab officio Moderatricis Generalis eiusque Consilii ad negotia maiora de qua pertinere, nemo est qui neget, unde necessitas Episcopos dioecesanos, quorum interest, consulendi.

Instituta insuper speciali curae Episcopi dioecesani commissa minime subtrahuntur Supremae Ecclesiae auctoritati, uti cavet ipse Legislator: «Instituta vitae consecratae ... supremae eiusdem [= Ecclesiae] auctoritati peculiari ratione subduntur» (can. 590, § 1). Competentia ergo Episcopi, sedis quoque principalis, illi cumulatur quae a Sede Apostolica exercetur.

Superioris hierarchici denique, in casu Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, non est tantum actum administrativum impugnatum examini subicere quoad eiusdem legitimitatem, sed etiam, si id magis expedire videatur, aliam decisionem ferre, quae sit legitime sive in procedendo sive in decernendo

lata. Quae omnia cavet art. 136, § 1 Ordinationis generalis Romanae Curiae: «I ricorsi gerarchici alla Santa Sede contro i decreti amministrativi di autorità ecclesiastiche sono esaminati sia nella legittimità che nel merito dal Dicastero competente a norma del diritto».

Ad meliorem adiunctorum cognitionem adipiscendam iussit Dicasterium Visitationem Apostolicam in Institutum. Recepta Visitoris relatione, idem Dicasterium, vi potestatis, qua pollet, suam propriam decisionem tulit. Hoc modo Instituti difficultates haud dissimulavit, at diversimode easdem ponderare tenuit. Quae discretio ad causae meritum pertinet, quod ingredi prohibemur.

Neque censurae, proinde, de legum violationibus in decernendo ullo nituntur fundamento.

III. CONCLUSIO

Omnibus in iure et in facto aequè rimatis, infrascripti Patres pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum esse decreverunt atque respondent:

Decretum huius Supremi Tribunalis diei 6 decembris 2013 confirmari seu recursum admittendum non esse ad disceptationem utpote manifeste carentem fundamento.

Pro expensis processualibus cautio in arca H.S.T. deposita retineatur. Exc.mus Recurrens suae Cl.mae Patronae atque Auctoritas ecclesiastica suo Cl.mo Patrono congruum solvant honorarium.

Hoc definitivum decretum cum omnibus quorum interest communicandum et executioni mandandum decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die XXIV iunii MMXIV.

(Signati)

Raimundus Leo Card. BURKE, *Praefectus*

Ioannes Card. LAJOLO

Paulus Card. SARDI

Iosephus Card. VERSALDI

+ Philippus IANNONE, O. Carm., *Ponens*

Et notificetur.

Die 14 iulii 2014

+ Franciscus DANEELS, o.praem.
Secretarius

Iosephus Ferdinandus MEJÍA YÁÑEZ, m.g.
Praepositus Cancellariae